

**Meletemata de incremento, seu priore aetatis humane periodo : dissertatio medica ... praeside Christiano Gotthold Eschenbach ... A.D. VI mens. iul. A.O.R. MDCCCXIII publice defendit / auctor Christianus Augustus Kraft.**

## **Contributors**

Kraft, Christian August.

Eschenbach, Christian Gotthold, 1753-1831.

Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library

## **Publication/Creation**

Lipsiae : Ex officina Klaubarthia, 1813.

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bqfghyn3>

## **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by the Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library at Yale University, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library at Yale University, where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

MELETEMATA  
DE INCREMENTO,  
SEV PRIORE AETATIS HUMANAEE PERIODO.

---

DISSERTATIO MEDICA

QVAM

AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN LIPSIENSI LITERARVM VNIVERSITATE  
PRAESIDE  
VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO  
**CHRISTIANO GOTTHOLD  
ESCHENBACH,**

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE, CHEMIAE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO, CONCILII PROFESSORVM, ORDINIS ITEM  
MEDICORVM ASSESSORE, RELL.

PRO SVMMIS

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS  
RITE CAPESENDIS

A. D. VI. MENS. IVL. A. O. R. C<sup>I</sup>CCCCXIII  
PVBLICE DEFENDIT

AVCTOR

**CHRISTIANVS AVGUSTVS KRAFT,**  
NIEDER - TREBRA - THVRINGVS  
MEDICINAE BACCALAVREVS.

---

LIPSIAE,  
EX OFFICINA KLAUBARTHIA.

1863

АРХИЕПАГИ  
О ТИШМЕДИИ И С  
ОСЛОВІІ СЛІДУЧІ ПРАВИ

ЛІЦІЯМ ОПЛАТНИЗІС

МАУ

ЛІЦІО НІВНОДІЇМ ГРОДАРІ СІДІВІ  
ІТАТУ СІВІКУ ІМІ САНІІ СІДІВІ  
СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ  
СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ  
СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ  
СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ

СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ  
СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ  
СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ

СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ  
СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ СІДІВІ



19th  
cent  
RJ254  
KB  
1813

V I R O  
EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO,  
**CAROLO FRIDERICO GVSTAVO**  
K L V G,  
MEDICINAE DOCTORI APVD LIPSIENSES CELEBERRIMO

H V N C C E   L I B E L L V M

GRATO AC PIO OFFERT ANIMO

A V C T O R.

О Я Т У

СУЛЯТЫ СОВЕТИЛ ОДОЯД

ОДОЯДА СОВЕТИЛ ОДОЯД

ОДОЯДА ТЫЗО ОДОЯД

ОДОЯД

**N**ulla fere literarum medicarum pars tam diu ac tantopere neglecta et veluti deserta est, quam ea, quae morborum infantum cognoscendorum, curandorumque rationem spectat. Quod profecto eo magis est mirandum, quo gravior haec doctrina, et quo magis vitae atque valetudini, non solum singuli hominis, verum etiam totius generis humani, salutaris est. Jam vero in causam hujus rei si inquiratur, duplicitis potissimum generis ea esse videtur. Et ad alterum quidem genus pertinet ista difficultatum atque impedimentorum multitudo, quae medico in exercitio artis aegrotis infantibus opem ferendi, occurrit, quorum plurimae vel plane non, vel aegre tantum removeri possunt. — Ea vero, quae huc pertinent, hic non moror, utpote quae jam ab aliis <sup>a)</sup> exposita sint, atque studiose pertractata. Altera ex parte, ut equidem judico, causa, cur illud medicae artis caput minus politum atque excultum sit, in medicorum ipsorum negligentia, et observandi levitate aequa, ac in eo, quod manca admodum, mutilaque

---

<sup>a)</sup> Inter medicos, qui infantum morbos descripsierunt, praecipue pertinent Hufelandius in libro suo: *Bemerkungen über die natürlichen und inoculirten Blattern; et Iahn Neues System der Kinder-Krankheiten*, pag. 6. et seqq.

deprehenditur, quam sibi parare studuerunt, puerilis aetatis cognitio, quaerenda est. Alii enim medici, ii potissimum, qui priori aevo floruerunt, opinantes, infantibus aegrotis nullum esse auxilium ferendum, sed eorum sanationem soli naturae relinquendam, plane non respexerunt ad eam, quae huic aetati propria est, naturam; alii, e contrario ad singula tantummodo morbosa symptomata infantum, juvenumque animum adverterunt, neque ullam habuerunt tenerae aetatis rationem, sed pro more et consuetudine omnem, quam adhibuerunt, curam posuerunt in hoc, ut ea removerent. — Denique fuerunt etiam, qui omnem naturam hujus aetatis positam esse in debilitate atque infirmitate censerent, hancque perversam sententiam strenue defenderent. Pauci igitur duorum ultimorum decenniorum medici sunt, qui majori attentione, diligentiorique studio naturam infantum cognoscere studuerunt, eorumque morbos recte dijudicare et tractare inchoarunt. — Nihilomiuus tamen multum dubii atque obscuri circa hanc rem superesse, quisque fatebitur, qui vel libros super hoc argumento scriptos perlegerit, vel infelicum successuum, qui medendi infantum morbis, methodos ut plurimum insequuti sunt, fuerit testis. Nam scriptores ipsi inter se non plane consentiunt in eo, quid sit morbus infantilis, et qui affectus ad hoc genus aegritudinum pertineant. Quam ob rem etiam alii hos, alii istos morbos ut infantiles recensuerunt, de iisque retulerunt. — Eadem etiam causae tribuenda est ista incertitudo, quam apud eos auctores deprehendimus, qui in enumerandis et describendis hujus generis affe-

ctionibus operam-collocarunt. Quisque enim scriptor, nullis fere certis rationibus innixus, suum sequitur modum; unde factum est, ut obscuritas, quae circa hanc rem obtineret, non tolleretur, quae profecto auferri potuisset, si magis in puerorum naturam inquirere studuisserent medici. Etenim si hoc fecissent, omnis disputatio super quaestione, qui morbi debeant infantiles vocari, esset finita; quippe omnes in eo consentirent, nullum alium morbum infantilem esse dicendum, nisi eum, qui a singulari natura infantilis aetatis ortum habeat suum, et cum organismi formatione parem teneat rationem. Quapropter omnes fere morbi exanthematici febribiles, syphilis, item epilepsia, et plures aliae aegritudines, quae plerumque in compendiis describuntur, ex hac classe omittendae sunt. — Sicuti enim non omnes, qui mulieres invadunt morbi, ad eos, qui feminini vocantur, sed hi tantummodo, qui in singulari sexus natura positi sunt, referri fas est; ita etiam haud omnes, quibus infantibus expositi sunt, affectiones infantiles debent nominari. Et si quis puerorum morbos modo atque ordine accommodato describere velit, ad organorum efformationem, qua cum in arctissimo nexu sunt, respiciat necesse est. Hac igitur sola via nostra disciplina tum ratione, praeceptisque, tum usu atque exemplis in dies vere excolitur. Medicus igitur, qui infantum evolutionis historiam, eorumque naturam semper ante oculos sibi ponit, facilius profecto rectum feret supra ea, de qua loquor, re judicium, multasque difficultates, de quibus saepe ii conqueruntur, qui de hujus generis morbis, eorumque diagnosi disputant,

feliciter superabit, in primis si habitum externum bene dijudicare non ignoret. In hoc enim plerumque adumbrationes tam subtiliter delineatae sunt, ut verbis vix, ac ne vix quidem, possint exprimi, sed oculis tantum indagari atque inveniri queant. Eae autem ad morbum dijudicandum omnino necessariae et perutiles sunt. Organismus nimirum infantilis, qui adhuc simplicissimus est, et plane non, vel parum a naturae trame deflectit, certa eorum, quae intus sunt, praebet in extiore corporis superficie indicia. Atqui ita sumenda et intelligenda sunt verba *Hufelandii*<sup>b)</sup> dicentis „Zu einem guten Kinderarzt ist ein gewisser Takt und semiotisches Gefühl nothwendig.“ — Diligenti autem observatione et indefesso studio opus est, si ad hunc finem pervenire velimus; nam alias metam optatam contingere haud licet, a qua quantum adhuc distemus, jam in superioribus dictum est.

Jam paucis animum advertamus ad eos, qui in tractandis infantum morbis ad evolutionis historiam, rem tam gravissimam, maximeque necessariam, respiciendum esse censuerunt. Et *Hopfengaertnerus*<sup>c)</sup> primus fuit, qui hanc veluti penitus desertam terram excolere incepit; sed notio, quam de morbis evolutionis clarus vir dedit, nimis angusta et stricta est, quippe ea ii tantum comprehenduntur morbi, qui

b) Cf. libellum laudatum pag. 258.

c) *Einige Bemerkungen über die menschlichen Entwickelungen und die mit denselben in Verbindung stehenden Krankheiten*. Stuttgard, 1792.

certa aliqua aetatis periodo occurruunt, ut in dentitione, pubertate etc. Clarius et fusius de hac re egit *Malfatti*<sup>d)</sup> in libro egregio, quo historia, quomodo morbi exoriantur, et cum evolutione atque involutione aetatis arctissime cohaereant, continetur. — Nec minus bene de hac re verba fecerunt *Formey*<sup>e)</sup> et *Reil*<sup>f)</sup>, quorum posterior in primis eam egregie illustravit. Atqui hi fere sunt, qui de hoc argumento erudite scripsierunt. Etsi vero ipsi artis nostrae professores, qui ingenio excelluerunt, et occasionem, quotidie clinica experientia instituendi, nacti sunt, non satis cognitam et perspectam habuerunt hanc materiem, eaque proinde altioris indaginis esse videtur, quam ut a tirone rite pertractari queat, non possum tamen, quin saltem aliquam ejus partem mihi sumam in hac disputatione exponendam atque declarandam. Ab eo enim tempore, quo duce Exp. *Klugio*<sup>g)</sup> aegrotis opem ferre mihi

d) *Entwurf einer Pathogenie aus der Evolution und Revolution des Lebens.* Wien, 1809. In hoc libello, qui per paucis tantum notus esse videtur, rectam viam, qua Pathologia tractanda sit, patefactam esse contenderim; ideoque in cujusque medici, qui vere colere studet artem suam, manibus esse debet, diligenterque perlegi; nam profecto magna, volumina de Pathologia conscripta multo superat gravitate atque utilitate.

e) *Allgemeine Betrachtungen über die Natur und Behandlung der Kinderkrankheiten.* Leipzig, 1811.

f) *Archiv für Physiologie*, von *Reil* und *Autenrieth*. Bd. IX. Hft. I.

g) Non possum non hic palam gratias agere huic Exper. Viro, qui maxima benevolentia atque humanitate non solum omnem oc-

contigit, largam habui infantum morbos observandi opportunitatem, eaque sic usus sum, ut omni attentione in eorum naturam atque indolem inquirere studerem. Et cum opera, quam in hanc rem impendi, non omnino infelicem, ut equidem arbitror, habuerit successum, constitui mecum, in disputatione inaugurali, quae mihi jam scribenda est, agere de modo, quo homo inde a partu usque ad pubertatem paulatim explicetur, atque increscat. Duplex igitur erit nostra disputatione; altera persequetur normalem efformationis successiōnem; altera enarrabit morbos hujus aetatis, modumque, quo hi ex ista prodeant. —

## P A R S I.

### C A P V T I.

#### *De organismo humani evolutione in universum.*

Organismus humanus aequa, ac alia organisata corpora, inde ab ortu suo usque ad interitum explicatur, efformaturque ad perfectionis aliquod fastigium, quo superato, eodem rursus redit gressu ex organismorum regno ad Universum. In hoc igitur temporis intervallo, quod vocari solet aetas huma-

cationem morbos infantum tractandi mihi praebuit, verum etiam libros, de hac re conscriptos, quos possidet, mecum humanissime communicavit. Huic igitur et Exp. Claro, Praeceptoris carissimo, maximam partem doctrinae meae qualiscunque me debere pius gratusque profiteor. —

na, vel vita, certis quibusdam legibus stabilitis et necessariis, quae in organismo ipso positae sunt, persaepe mutatur ejus natura. Quapropter etiam haec aetas dividi solet in certas aliquas periodos; sed hoc non omnino felici successu factum esse videtur. Omnes<sup>h)</sup> enim istas permutationes et vicissitudines

---

*h)* Liceat mihi nonnullas tantum afferre sententias; (nam omnes inde a prioribus temporibus usque ad hunc diem prolatas recensere nimis molestum foret.) *Pythagoras* assumit quatuor vitae stamina, quorum primum inde a partu usque ad vicesimum annum extenditur, secundum ab hoc usque ad quadragesimum, tertium spatium a quadragesimo anno usque ad sexagesimum explet, et quartum usque ad octogesimum annum accedit; homo qui adhuc in primo studio versatur, secundum hunc philosophum, infans dicendus est, hunc juvenis excipit, quem deinceps vir, et tandem homo aetate provectus sequitur; qui ultra hunc terminum vivunt, haud amplius inter viventes numerandos esse idem auctor censuit. Alii viri doctri tria tantummodo vitae stadia distinguunt, et sic quisque fere populus, quisque physiologus, et philosophus aliam sequitur in partiendis secundum aetatem hominibus rationem; sed omnes ejusmodi distributiones incertae sunt, neque firmo nituntur fundamento. Si vero quis dixerit in describenda hominis singuli historia certa aliqua universalia momenta indicanda esse, crediderim equidem, vitam in quinque stadia dividendam esse, quorum prius infantilis aetas nominatur, et a partu usque ad undecimum fere annum extenditur; alterum periodum, quae vicesimo fere anno finita est, juvenilis aetas dicitur, complectitur; tertium quinquagesimum fere annum adtingit, et virilis aetatis meretur nomen, hoc excipit senium sive stadium a quadragesimo usque ad sexagesimum annum, et ultimum est, in quo decrepita aetas versatur. Partus

a solita temporis ratione ex Universi natura desumpta voluerunt ad numerum aliquem annorum redigere, sicque constituere. — Atqui vero, cum hae permutationes ex organismi ipsius indole prodeant, ac se manifestent, fieri non potest, quin certae aliquae periodi secundum ipsarum naturam et decursum constituentur. Ad haec accedit, quod, cum cujusque organismi veluti conformatio peculiari ratione fiat, etiam evolutionis momenta alio modo explicitur opus est, ideoque ista communis temporis ratio ad singularis organismi vicissitudines non est adaptata. Porro etiam hac via clarior lux accenditur doctrinae de rhytmis vel periodorum in organico regno observati natura, quam plerumque ex sola rerum vi atque efficacia explicare voluerunt nonnulli physiologi. Melior et naturae magis congrua ratio esse videtur, qua aetas in duos dividitur status, quorum alter, in quo paulatim evolvitur organismus, mutationes amplectitur, quas in hujus aetatis hominibus animadvertisimus, alter in quo contrarium locum habet; illa periodus *incrementum*, haec *decrementum* vocatur; et utraque est maximi momenti in cognoscenda organismi na-

igitur et mors **extrema** quasi vitae puncta, vel lineae sunt. Sed, ut jam dixi, etiam haec ratio partiendi non omni ex parte perfecta est; quippe quod in ea ad temperamentum, regionem, cet. haud respicitur. — Plura de hac scripserunt:

*Ith Versuch einer Anthropologie.* I. Th. Abth. II. pag. 431.  
*Et Plouquet de aetatibus hominum, earumque juribus.* Tubing.  
 1778.

tura. Sed accuratior utriusque status investigatio hactenus ferre neglecta est, et potissimum hoc, quantum equidem judico, de corporis decremento valet, in quo quippe novas mutaciones et vicissitudines organismi succedere vix suspicabantur ii, qui hominis naturam perscrutati sunt. Jam vero si accurate inquisivissent in ea, quae in hoc studio obveniunt, hunc profecto inde tulissent fructum, ut multos graves morbos avertere, aut saltem eorum vehementiam imminuere possent. Exemplum hujus rei nobis praebet sequior sexus; quis enim est, qui nesciat, quot foeminae tempore, ubi catamenia desinunt fluere, vel misere obeant, vel saltem in morbum diuturnum et pericolosum, omnemque fere medelam respuentem, incidant? quippe hoc tempore haud raro solent oriri aut hystericae affectiones, aut uteri haemorrhagiae aut carcinoma ejusdem visceris, aut mammarum scirrhi, etc. Sed ulterius de hac re ut disputem, non opus est; quare potius ad illud caput artis nostrae, quod illustrandum mihi sumsi, et ad incrementum, quo ex inferiore gradu ad perfectissimum, et principem quasi omnium animalium statum ascendit homo, spectat, transgredior. Haec enim vitae humanae pars gravissimi momenti est, omnique attentione atque admiratione dignissima. In ea quippe observari licet, cum modum, quo unum organon ex altero excipitur, unum systema alterum incitat, et omnes partes in totius concentum ducuntur, tum etiam rationem, qua ingenium et reliquae mentis virtutes, quibus homo caeteris praestat animalibus, paulatim emicare incipient. Per totam hanc periodum systema reproductionis, seu vege-

tationem eminere videmus; qua de causa etiam in hoc stadio ista luxuries atque incrementum, quoad volumen et magnitudinem, ista magna incitabilitas, reactionis autem debilitas, ubicunque conspicua est. At vero quo magis pubertatis periodus appropinquat, eo major firmitas et robur, et in universum vitae animalis natura prodit.

Hoc vero temporis spatium commode in tria stadia, quae ex organismi ipsius natura definiuntur, distribui potest. Et in primo quidem eorum organismi origo et ipsius formatio describitur, illudque inde a conceptione usque ad partum extenditur; in altero mutationes, quae pubertatem praecedunt, et ad eam quasi corpus praeparant, se manifestant, et in tertio denique psychicae facultates emicant, seque plus minusve explicant. Haec tria aetatis stadia arcte inter se cohaerent; eorumque unum comitatur alterum, atque in sequente repetitur praecedens. De primo stadio, quod a conceptione usque ad partum se extendit, nil dicere in animo est; attamen ut habeamus, quo veluti fundamento inniti sermo de tempore pubertatem antecedente possit, nonnulla verba de embryonis statu praemittam.

### C A P V T I I .

#### *De embryonis origine et natura.*

Embryo humanus, cuius vita temporis momento initium dicit ex utriusque parentis connubio, simili ratione, ac zoophyton, efflorescit atque efformatur. Primo nimirum

post conceptionem tempore, ubi vix embryonis stamina ocu-  
lis detegere licitum est, organa quaedam, ut chorion, amnios,  
alantois, et vesicula umbilicalis, quae evolutionem germinis  
quasi praeparant, et prius, quam embryo ipse, efformantur,  
non multum differunt vivendi et crescendi modo plantarum;  
hoc autem non valet de embryone ipso, utut sunt inter phy-  
siologos, qui hanc sententiam fovent; namque illi indoles  
et dispositio animalis jam innata, etiamsi nondum explicata, est.  
Haec autem organa destinata videntur partim ad commer-  
cium inter matrem et foetum sustentandum, partim ad re-  
spirationis et nutritionis vices tamdiu gerendas, donec organa  
harum functionum genita sunt atque explicata. Iltis par-  
tibus aliquo modo efformatis embryo ipse incipit magis vi-  
gere, et suam naturam manifestare; atque ea ratione, qua is  
evolvitur, et animalis indoles in eo conspicua fit, paulatim  
haec deflorescunt atque evanescunt. At vero in embryone  
ipso, qui inferioris gradus animalia inde a molusco usque ad  
perfectiores eorum species percurrit, ea organa et systemata  
unice fere vigent ac valent, quae resorptioni et nutritioni  
inserviunt, ut hepar (quod hoc tempore princeps esse videtur  
organon, utut a physiologis non satis aestimatum est) totum-  
que sistema lymphaticum latiori sensu sumtum. Hoc enim  
tempore embryonis maxima est incitabilitas, eaque omnis con-  
sumitur ad materiam gignendam, atque ad organa evolvenda,  
indeque ista celeritas incrementi, quae locum habet, potest ex-  
plicari. Circa graviditatis medium fere, omnibus organis  
jam delineatis, prima actio post formationem motus scilicet,

infantis, quem etiam mater non ignorat, se manifestat, et in hac periodo organa, quae ad vitam extra uterum sustentandam necessaria sunt, magis confirmantur et perficiuntur. Tandem his praegressis, dynamica et mechanica ratione solvit infans a matre, quacum hactenus conjunctus unam fere vitam degerat, et ex utero in lucem prodit. Partus igitur, sive ad embryonem, sive ad matrem respicias, maxi-  
mi momenti effectus est; quippe ille, si ad hunc terminum pervenerit, primos gressus tendit ad vitam animalem, haec autem tum, cum huc delata res est, summum vitae animalis finem assequuta est. Sed haec de modo, quo foetus effor-  
matur, monuisse satis est. — Plura de hac re dixerunt *Reil*,<sup>i)</sup> *Oken*,<sup>k)</sup> *Kieser*, aliique.

### C A P V T   I I I.

*De organismi evolutione, quae inde a partu usque ad pubertatis periodum se prodit.*

Jam ad alteram hominis incrementi periodum, in qua organismus ad animalium functionem, procreationem, pede-  
tentim transit, atque sic evolvitur, ut ea rite peragi queat,  
veniamus. Hanc vero periodum iterum distinguerem possumus.

i) *Archiv f. Physiol.* v. *Reil u. Authenrieth.* IX Bd. I. Hft. pag. 66 ff.

k) *Beiträge zur vergleichenden Zoologie, Anatomie und Physiologie*, herausgegeben von Dr. *Oken und Kieser.* 1. und 2. Hft. Würzburg, 1806.

mus in tria, eaque ex organismi natura desumta, intervalla. Et in priore quidem eorum vim plasticam s. vegetacionem praevalere, in altero, animalem naturam (Animalität) magis se prodere atque evolvere, in tertio denique facultates psychicas se manifestare observamus. Ad hunc autem terminum si pervenerit homo, puber factus est, seu, quod eodemredit, procreandi virtus se in eo explicat, quae veluti meta est, ad quam animalis vita tendit. Caeterum dum ejusmodi divisionem faciendam esse statuo, haudquaquam contendeo, animi et corporis efformationem quasi separatim fieri; namque hoc locum omnino non habere observatio docet; id autem exploratum est, in priori intervallo, utut jam vestigia quaedam psyches conspiciantur, animalis inferioris naturam potissimum sub oculos cadere. —

Ab isto capitali quasi momento, cui partus nomen datur, plures, eaeque gravissimae procedunt totius corporis permutationes. Nam foetus organis, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, ex unione cum organismo dimisis, respirationis et nutritionis instrumenta, quae nunc propria vi agunt atque vigent, in conspirationem vocantur, eorumque actione efficitur, ut novus antagonismus, nova vicissitudo intercedat, functiones corporis aliter exserantur, et dirigantur, organaque hic agere desinant, illic ad agendum incitentur. Respirationis viscus in se veluti reductum, stimulatur novo irritamento, aeris nempe oxygenio, quo fluxus sanguinis, cuius natura eo immutatur, aliis fit, ac antea erat, circuloque

terminatur. Nunc enim ex corde, centrali quasi organo, ad peripheriam fertur, unde ista congestio ad superficiem, cutisque rubor exoritur, et simul etiam caloris animalis vis expanditur. Caeterum immutatus hic sanguinis fluxus efficit, ut ductus arteriosus Botalli, foramen ovale cordis, ductus venosus, et plures aliae viae, quae antea humori huic patebant, ipsi praeccludantur; hac igitur ratione tota fere organismi natura immutatur et modificatur. —

Nutritio non amplius per radices in exteriore corporis superficie positas peragitur, sed alimenta, in tractum intestinalem delata, digeruntur, assimulantur, et ab iis partibus, quae organismo alienae, sunt separantur.

Partu igitur ejusmodi mutatio evenit, ut animalem natu-ram nunc demum in lucem prodiisse dicere queamus. Senso-rium nimirum, quod, quandiu infans in utero latitabat, somno quasi sepultum, et ditioni vis plasticae subditum fuit, nunc se erigere incipit, nimiumque nifum formandi coercere et diminuere conatur. Nihilominus tamen prioribus vitae mensibus sola fere vegetatio praevalere pergit, unde incre-menti et succorum abundantia, pinguedinis item copia, et totius corporis ea forma, quae bonam nutritionem indicat, repetenda est. Tota fere nuper nati hominis vita somno, ex quo non nisi cibi desiderio, vel rebus inimice in corpus agentibus excitatur, consumitur. Hoc igitur temporis inter-vallo organa et systemata vitae animali destinata magis effor-

mantur et perficiuntur. — Praterea etiam sensorium imperium extendere studet super vegetationem, et sic tertium vel quartum mensem sine eo, ut mutationem, quae manifeste sub oculos cadit, patiatur, attingit neonatus. —

Ab hoc tempore sensorii ipsius vis magis conspicua redditur. Vultu nimirum, qui hactenus simplex et planus fuit, status corporis internus, qui obtinet, exprimitur, mox hilaritate et risu valetudo, mox lacrymarum flumine aegritudo, quae antea vagitu, ut in brutis, se prodebat, elucere videtur. Jam sensus quoque externi, quos infantibus connatos esse, ita ut iis perfecte uti queant, falso nonnulli opinati sunt physiologi, paulatim per usum, exercitiumque magis magisque explicantur, iique ab inferiore gradu ad superiorem progressionem perficiuntur, idque eo celerius fieri afolet, quo magis rebus externis stimulantur, et excitantur. Interea etiam cerebrum ipsum adaugetur materiae volumine et soliditate, humoribusque ubertim affluentibus repletur, unde ista larga lacrymarum effusio, muci item narium ac salivae copia, deliquum ex auribus, aliaque phaenomena explicanda sunt. At vero in systemate irritabili etiam levia nonnulla efformationis deprehendimus indicia. Musculi cervicis, capitisque firmiores redunduntur, indeque fit, ut infans caput aliquo modo sustentare, atque hinc illincve vertere, extremitatibus magis ex arbitrio uti, totumque corpus extendere et circumvolutare incipiat. Interea tamen sistema reproductionis imperium sibi servat. Jam his, iisque omnino

haud levibus organismi immutationibus alia accedit, quae in ossibus conspicua est; quippe hae partes inchoant indurescere, fonticuli sensim sensimque occluduntur, capitisque ossa, quae laxius inter se cohaerebant, arctius contrahuntur, evaduntque firmiora; simul in maxillis dentes efformantur, ex iisque erumpunt, nec non longiora ossa extremitatum costarumque etc., duriorem naturam induunt. Haec ossium efformatio, seu potius induratio non nisi sanguini jam aliqua ex parte immutato, majorique oxygenii copia saturata grata habenda est; ut ex *Naffii*<sup>1)</sup> accuratis observationibus in aegrotis morbo coeruleo laborantibus institutis probari videntur, qui iis innixus hoc tempore organismum desiderio quodam majorem Oxygenii copiam attrahendi, atque ad efformationem sui ipsius consumendi, teneri statuit. Dentitio igitur, s. potius ea periodus, in qua dentium proventus inter reliquas organismi immutationes maxime sub oculos cadit, ideoque tum a vulgo, tum a multis medicis pro causa primaria omnium harum, quae infantibus hoc tempore accidentunt, mutationum habetur, ut terminus, si quis certus locum tenet in organismo, inter vegetationem et naturam animalem (Animallität) assumenda est. Eodem etiam temporis spatio, quod modo longius extenditur, modo brevius est, naturae consilium,

---

1) Vid. *Archiv f. Phys.* v. *Reil u. Autenrieth.* IX. Bd. Heft II. Über den Einfluss, den hellrothes Blut auf die Entwicklung und die Verrichtungen des menschlichen Körpers hat, aus Beobachtungen blau-süchtiger Kranken, v. Dr. Nasse. —

quo infans a matris mammis defuefieri, alimentisque magis solidis nutriri debeat, expletur. Nunc vero una alterave totius hujus intervalli pars, in qua vita animalis magis prodit, originem sumit.

Progrediente nimirum vita animali sensibilitas pariter atque irritabilitas magis vigere incipiunt, minusque eae pendent a vegetationis imperio. Inde ab hoc momento utrumque systema inter se exequari annititur; nam modo hoc, modo illud praevalere, in puellis e. g. plerumque sensibilitatem, in pueris e contrario irritabilitatem eminere, quotidianis probatur observationibus.

Ac primum quidem, quod ad sensibilitatem attinet, nunc animi facultates internae inferioris gradus paulatim se exsere-re incipiunt, quippe, ut jam olim verissime dixit *Baco de Verulam*, „Interim animus quoque habet suas periodos, sed per annos non possunt describi“ infans enim, si quid vel appetat, vel aversetur, vel si quid sentiat, gestibus et vocibus haud articulatis studet exprimere mentis suaे sensa, et gradatim demum ea clarioribus verbis, etiam si non ordinatis, significare valet. Ulteriore etiam tempore memoriae manife-stantur indicia, et res, quas hac aetate aut vidit, aut alio modo percepit infans, per longam vitae partem retinet, et in universum alacritas atque hilaritas in agendo et ludendo animadvertisit. Jam liceat mihi hic duorum clarorum virorum, *Halleri* et *Blumenbachii* de infantum, qui hanc aetatem

affecuti sunt, statu et conditione relationes afferre. Et *Hallerus* quidem dicit. „Longas quidem ratiociniorum catenas inconstans et inquieta aetas nondum fert. Caeterum adnotat obversantia, et saepe argute judicat. Prior tamen eminent memoria, ingenium sequitur. Tardius et memoria et ingenio judicium maturatur. Pueris id est vitii, quod a re ad rem et ament, et bene cogantur transilire; nam omne genus motus amant, ex cordis puto ratione celerius micantis.“ — Element. *Physiol.* Tom. VIII. p. 24. *Blumenbachii* autem verba haec sunt. „Et infantili quoque aetate memoria reliquas animi facultates praecessit, et recipiendis tenaciter rerum signis longe aptissima est. Cum postea a quinto circiter inde, post decimum, anno, phantasiae potius igniculi praevalere valeant.“ Vid. *Ejus Institut. Physiol.* §. 645.

At vero etiam irritabilitas magis viget in infantibus et transit quasi a vasculoſo ſystemate ad musculoſum. Infans nimirum uberibus ablatus, alimentisque magis ſolidis nutritus, viribus et firmitate increſcit, roborisque ſui conſcius tentat vario modo vim ſuam exferere; quaecunque enim ipſi offeruntur, manibus capit, firmiterque tenet, atque extremitatibus inferioribus, quarum incrementum plerumque, dum capitis organa efformantur, aliquo modo retardatur, liberius audaciusque uti, pedibusque ingredi, et denique circumcurrere incipit. Sic igitur infans, poſtquam inferiorem vitae animalis gradum percucurrit, ad tertium hujus intervalli ſtadium tranſit. —

Haec autem periodus, eis omnibus jam nota est, tamen, ut mihi videtur, non satis habetur perspecta. Cum enim hoc tempore dentium vicissitudo succedere soleat, ex hac novam periodum aetatis puerilis constituerunt physiologi. Sed ab hoc singulari eventu vix omnes organismi permutationes derivari possunt; causa quippe sine dubio altius latet. Homo nimirum ad animi facultates, quibus inter reliqua animalia maxime eminet, exserendas dispositus enascitur. Haec autem indoles non prius, quam animal aliqua ex parte jam efformatum est, explicari et conspicua reddi potest. Quanquam enim priore tempore mentis aliqua indicia se manifestant, tamen plerumque, ut reliqua animalia, instinctu quasi agunt infantes; et si una alterave facultatum, quibus animal pollet, valde excolitur, progressus, quos in arte quadam illud fecit, tales sunt, quae magnam admirationem mereantur. At vero nostra periodo in juniore homine mentis facultates, quae in nullo animali detegi possunt, ingenii scilicet et rationis signa, evolvi observamus. Jam memoriae, quae pergit magis magisque increscere atque confirmari, associatur studium, amorque res, quibus circumdatus est puer, cognoscendi et distinguendi; simul etiam, quae cogitat et sentit, clarius elegantiusque verbis significare valet. Porro eodem tempore studium imitandi, quo pueri tantopere sibi placent, excolitur, simulque etiam justi, honestique sensus excitatur. Denique progrediente aeta- te phanasiae igniculi incipiunt emicare. His, quae proposui, plura de mentis facultatum efformatione addi possent; sed cum longius sic duderer a scopo meo, et jam ab aliis vi-

ris<sup>m)</sup> doctis illa exposita sint, ad eos provoco et hoc tantum monendum duco, hac aetate primam originem psychicarum facultatum quaerendam atque eas nunc demum institutione idonea explicandas et ad summum finem perducendas esse. Quod corporis seu materiae permutationes attinet, vix quidquam singulare observari licitum est. Systematibus nimirum cunctis inter se veluti aequalibus redditis, lente increvit puer magnitudine, labore et firmitate; qua de re etiam dentes firmioris substantiae prorumpunt. Caeterum facile accuratus observator animadvertiset, psyches efformationem non exiguum vim in corpus exferere; totus enim infantis habitus se gratia quadam commendat, eaque potissimum in vultu et oculis conspicua est, refertque quasi speculum psyches inhabitantis.

Jam cum satis me exposuisse arbitrer modum, quo omnes, quae obtinent, formationes, mutationesque ad singularem organismum perficiendum spectent, princeps totius hujus intervalli momentum, ubi organismus ultra ipsius formationem progrediens, ad totum genus propagandum et conservandum conferre valet, accuratius considerabo; quippe pubertatis periodus nunc appareat, in qua summus vitae animalis finis at-

*m)* Conf. Tiedemann über die Entwicklung der Seelenfähigkeiten, in den Hessischen Beiträgen, Bd. 2. Hft. 3. Staphers Entwickelungsmethode der Anlagen des Menschen. S. 22. Bern, 1792. Grohmann Psychologie der Kinderjahre. Hamburg, 1812. Multa etiam de hoc acute dicit Rousseau in libro suo, cui titulus est *Emil*, Bd. II.



tingitur, differentiaque, quae inter utrumque sexum obtinet, redditur conspicua. Antea quidem jam discriminem sexuale observatur, idque inquirenti facile patet; sed quoad partium conformatiōnē illud tantummodo se praebet conspicendum, qua, an infans olim ad femininū genus debeat referri, an vir futurus sit, indicatur. Quamdiu enim systema generationis, in quo maxima differentia inter utrumque hominem posita est, et, quo demum perfecto reddito, quisque sexus ratione sua ad totum genus propagandum valet, nondum viget, atque in concentum totius organismi exceptum est, vix ac ne vix quidem sermo de sexus differentia fieri potest. In hoc igitur aetatis stadio, quod in aliis citius, in aliis serius praesto est, vis plastica denuo maximo in flore versatur, quamvis ea a reliquis systematibus jam modificata se ostendit, et, natura vitae animalis praevalente, paulatim plane superatur. Nunc enim non solum partes genitales, quae hactenus somno quasi erant sepultae, et tanquam alieni quid organismo adhaeserant, perficiuntur, verum etiam totum corpus volumine et magnitudine crescit, roburque majus aequirit. Quodsi vero organa in conspirationem quasi tracta sunt, inter ea nova agendi ratio, novus antagonismus inter singula organa et systemata prodit; ut in foeminis novus consensus inter partes genitales et mammae exoritur, ut in viris vox, pubertatis indicio, clarior fit, et maxima totius organismi evolutio observatur. Simul peculiaris indoles naturae animalis, ut jam supra dictum est, luculentius appetet, dum systema arteriosum, ejusque organa praecipua, pulmones

et cor, magis praevalent. Pectus igitur nunc dehinc perfitur, et inter utrumque systema, cerebrale et stomachale, aequilibrium sustinet; id quod itidem *Nassii* observationibus, quarum jam supra memini, egregie confirmatur; etenim clare ex iis patet, hanc nostram periodum aegrotis, de quibus hic auctor egit, valde timendam esse. —

Haec tamen animalis natura in sexu masculino evidenter se prodit, quam in sequiori. Qua de re musculosae atque osseae partes robore et firmitate excellunt, vox gravior evadit, barba progerminat, crinesque in pectore ac pubis regione, copiose crescunt, hisque phaenomenis indicatur, et semen secerni, et totum corpus robustius, ac antea fuit, fieri. In sexu sequiori vegetatio, quatenus supra organismi ipsius singularem formationem prodit, praevalere pergit. Musculi laxiores, debilioresque sunt, et magna pinguedinis copia, multaque tela cellulosa, referti. Porro luxuries et abundantia materiae ubique observatur, ut mammarum intumescentia, catameniorumque fluxus satis docet. Ceterum figura individuorum hujus sexus in universum brevior quidem, at simul crassior, magis convexa, teresque est; et omnia, quae observatori se offerunt, testantur, hydrogenii, quod in hoc, ut oxygenium in illo sexu, praevalet, in efformando corpore magnam esse vim atque efficacitatem. Ac in hoc quidem sexu, systemate generationis in concentum adducto, omnes fere mutationes plus minusve cum hoc rationem aliquam ineunt, quare in foeminis haec periodus maximam meretur

attentionem. Inter psychicas facultates in foeminis phantasmam, sicuti in priori intervallo memoriam, eminere, reliquasque mentis vires ipsius ditioni subjectas esse animadvertisimus; et illa etiam facultas arctissime cohaeret cum systemate genitali; qua de re, quo maturius ea incitatur, eo celerius systema generationis perficitur. Atque haec praecipue in sexu sequiori confirmata vidimus, indeque illa proclivitas ad animi exaltationem, ad somnambulismum et magnetismum animalum, quae haud raro adest, explicari debet. Eodem tempore pudor, honos, et decus hujus aetatis excolitur; denique ea ipsa phantasia producitur amor, quoad mores, et corpus. Plura de signis pubertatis et in primis iis, quae in sexu foemineo obvia sunt, dici possunt, sed cum ab aliis scriptoribus jam explicata ea sint, iis recensendis non immorabor.

Jam si vis et facultas procreandi explicata est atque evoluta, uterque sexus ad summum, quem animalibus prescripsit natura, finem pervenit; id quod in iis inferioris gradus animalibus, quae brevi tempore post coitum commissum rursus e vita deceidunt, probatum reperimus. Homo autem, qui ad altiorem perfectionis gradum ascendere debet, nunc ad mentis, rationisque, quibus reliquis animalibus praestat, fastigium evectus est. In hac periodo, quae tertiam totius vitae humanae aetatem fistit, et *acmes* obtinuit nomen, aequilibrium non solum inter singula systemata, verum etiam inter animum et corpus locum habet, et incitabilitas respondet consumptioni. Sic igitur in altissimo hujus vitae gradu homo versatur.

Atqui haec de incremento, s. priore aetatis humanae periodo, in normali organismi statu, dixisse sufficiat. Libenter profiteor, hanc, quam dedi, delineationem valde imperfectam esse, sed haud facilis negotii res est, si quis historiam hujus aetatis uno tenore describere velit; quare cum ea, quae proposui, meo scopo satisfaciant, nil amplius addam; in primis cum in altera disputationes parte, in qua de abnormi statu sermo erit, occasionem nacturus sim, eorum, quae hic desiderantur, quaedam addendi —

## P A R S I I.

### C A P V T I.

#### *De organismi statu morboſo in univerſum.*

Nolo equidem hic definitionum, quae in libris de hac re scriptis occurunt, copiam adaugere, aut eas, quae inde a prioribus temporibus prolatae sunt, recensere; quippe quae, quantum ego judico, definiendae rei parum accommodatae sint, quibusque ob mancam illius status cognitionem, quam habemus, melior, et ad verum magis accedens, substitui haud queat. Quam ob rem quid in univerſum de hac re sit sentendum, quantum in meis viribus est, paucis exponam. Vita nostra, de cuius notione Malfatti<sup>n)</sup> optime mihi egisse videtur,

---

n) Cf. l. l. p. X. „Leben ist mir etwas Transcendentales — ist mir die geheimnisvolle und wunderbare Wurzel, sowohl der Geister- als

duplici fere ratione se manifestat. Quodsi nimirum organismus sine ullo impedimento, aut perturbatione hujus, alteriusve organi explicetur, atque efformetur, functiones corporis omnes rite peragantur, bene eum se habere, seu valetudine frui dicimus, si evolutione perverse directa alteretur, vel ab inimica re externa ita incitetur, ut aequilibrium inter systemata tollatur, illudque a normali via deflectat, aegritudine hominem laborare prohibemus. Amborum igitur statuum causa posita est in vita, ideoque ii sunt vitae quasi modificationes, nam in utroque statu certae aliquae et necessariae leges ab organismo ipso pendentes observantur. Proinde morbus in hoc tantum differt a valetudine, quod homini in vita persequenda plus, minusve incommodi, vel periculi obvenit. Has vero abnormitates omnes commode ad tres classes redigere possumus, ad quarum primam eae pertinent, quae ex organismi ipsius indole explicantur, quippe ad quas producendas vel plane nil, vel parum tantummodo res externe conferant; altera eas complectitur, quae macrocosmi solius naturae ortum debent, et ad tertiam denique spectant eae, quae casu fortuito exoriuntur, quorsum vulnus, rabies canina, et aliae hujus generis affectiones sunt referendae. Nos vero,

*der Körperwelt, welche in der vor uns liegenden Welt, die, so zu sagen, ein Convolut jener beiden ist, als beständiger und allgemeiner Grund all ihrer Umwandlungen und Veränderungen, gleichsam wie in der Frucht offenbart; ja es ist dieses Alles, und was darin begriffen ist, — Selbst. —*

ne nimium a consilio, quod cepimus, deflectamus, in iis a norma recedentibus phaenomenis, quae ad primam classem pertinent, recensendis acquiescamus.

In his igitur morbis organismns ipse ex indole sua, et ex rebus externis normaliter agentibus, aut parum certe a norma declinantibus, ex se ipso eos procreat. Indoles nimirum, seu lineae quasi, quibus organismus, sive in normali, sive in anomalo statu evolvatur, adumbranda sunt. Haec vero indoles duplicitis generis esse videtur; etenim vel jam in conceptione fundamentum ejus ponitur, et, multis evolutionis momentis feliciter superatis, tandem demum in periodo aliqua conspicua fit, eaque hereditaria vocatur, vel quocumque evolutionis momento immutatur; prioris generis exempla habemus in phthisi pulmonali, in arthritide, haemorrhoidibus, cet. Fit autem quandoque, ut haec indoles, seu dispositio ab avo, patre integro, ad nepotem transferatur, idque saepe in iis, qui vesicae calculis, vel podagra, aliisve morbis laborant, experientia confirmatum animadvertisimus. Quod ad posterioris generis indolem attinet, organismus, uti jam supra vidimus, varios evolutiois gradus paulatim percurrit, atque in quovis eorum totam ejus naturam immutatam deprehendimus, unde fit, ut indoles ipsa permuteatur. Atqui huic morbi, qui in hanc periodum cadunt, plane respondent, iique ipsis, indole immutata, permutantur. Hanc ergo indolem in hac classe aegritudinum in primis accurate investigemus, atque obseruemus oportet; qua quippe rite perspecta, quid naturae viri-

bus relinquendum sit, quid arte ope effici queat, facilius prae-  
sagire licitum est. Quoties enim phaenomena valde terri-  
bilia appareant, quae nullo medicamento tollantur, sed sola  
natura solvantur, nemo est, quem id lateat. Rem vero uno  
saltem exemplo illustrare lubet. Puellae nimirum, antequam  
catamenia ingrediuntur, plus, minusve vehementibus spasmis  
et convulsionibus saepe corripiuntur, quae nullo medica-  
mento ceduut, sed sponte, naturae solius vi, subito evanes-  
cunt. Atqui inde apparet, valde necessarium esse, ut natu-  
ram morbi, quam fieri potest, accurate perscrutemur. —

In tota hac, de qua loquor, periodo vis plastica s. vege-  
tatio praevalet, ut jam supra dixi, eaque hoc magis viget,  
quo propior homo foetus aetati est; nam progrediente aetate  
paulatim ea diminuitur et coercetur. In cunctis igitur mor-  
bis, quibus hoc temporis intervallo expositus infans est, haec  
indoles animadvertisit. Sed ne nimis prolixus sim, ad sin-  
gula transeam. De morbis vero embryonis nihil monebo, par-  
tim, quod, quam de iis habemus, cognitio ad certi aliquid  
de hac re differendum, nimis manca atque imperfecta est, par-  
tim, quod ii ad argumentum, quod tractandum mihi sumsi,  
proprie non pertinent. Hoc addidisse sufficiat, quadruplici  
potissimum modo evolutionem embryonis perturbari posse.  
Et primum quidem hoc fiet, si embryo flaccescat, et deinde  
diem obeat, vel si in massam fere inorganicam degeneret, ut in  
molam, polypum et s. p.; tertio, si re aliqua inficiatur, et de-  
nique, si abnormi modo efformetur; huc referendum est, si

plura s. pauciora organa, e. g. digitii manuum pedumve, quam normali statu adesse debent, provenerunt, ejusdemque generis sunt valgi, talipedes et s. p. —. Causae, a quibus talis morbus repetendus est, non minus, quam signa, quae indicent, ejusmodi aberrationem, dum embryo adhuc in utero versatur, praesto esse, maxima obscuritate involuta latent. —

Quam ob causam huic rei diutius haud immorabor, sed statim ad secundam vitae humanae periodum, quae a nativitate usque ad pubertatem extenditur, me convertam.

### C A P V T I I.

*De morbis evolutionis, qui in alteram vitae humanae periodum cadunt.*

Quae insignes et fere stupenda totius infantilis organismi permutationes partui debeantur, supra vidimus. At qui propterea mirandum omnino non est, si abnormalitatis variis generis et gradus hoc tempore exoriri videamus. Eae autem primis diebus potissimum ad respirationem, et nutritionem, sive ad eas functiones, quae post partum in concentrum ducuntur, spectant. Et a pulmonum quadam actione, vel non rite progrediente, vel a quadam, utut levi, externa causa turbata, saepe ortum sumunt asphyxia neonatorum et singultus, s. rhonchus, quem non raro catharrhus suffocativus hinc aetati valde communis, insequitur. Nutritionem perversam e contrario efficere, ut excretiones atque secretiones male procedant, experientia testatur. Quum autem cum hac

utraque functione arcte cohaereat sanguinis circuitus, non  
mirum est, eum etiam immutari, atque inde plures aegritu-  
dines, quae hoc tempore obveniunt, causam repetere. Sic  
prima indicia morbi coerulei, cuius causa in cordis vitio ali-  
quo quaerenda est, °) observanuſ. Deinde, cum sanguis  
ex centrali organo ad peripheriam corporis fertur, haud raro  
varii generis erythemata in cutis superficie prorumpunt. Ei-  
dem etiam causae tribuenda est inflammatio vena umbilicalis,  
et partium, quae ipſi adjacent; item erysipelas neonatorum,  
quocum iste morbus, cui obdurationis telae cellulosa nomen  
datum est, maximam videtur similitudinem habere; nam-  
que eadem in utraque aegritudine obſervantur inflammatio-  
nis indicia, eandem fere ſedem ea obtinet, ſerpitque ab una  
ad alteram partem; nec rarum est, quod in erysipelate, pree-  
fertim cum homines debilis et cachecticae oonſtitutionis inva-  
dit, telam obduratam inveniuſ. Ambo igitur hi morbi  
vi et natura a ſe invicem non differre videntur, et fortaffe re-  
bus externis tantum efficitur, ut haec, alterave forma ſe pro-  
dat. Ceterum utique mirum est, quod in Germania rarius,  
quam in Francogallia et Britannia, haec forma occurrit <sup>p).</sup>  
Eodem tempore ſaepiſſime inflammationes oculorum, f. ble-

o) Conf. Nasse I. I.

p) Hunc morbum egregie descripsit Lodemann; conf. Hufeland's Journ.  
d. pract. Heilkunde. Bd. XXXI. St. IX. p. 57. et sq. Ueber die  
ſogenannte Zellgewebsverhärtung neugebohrner Kinder.

pharophthalmia neonatorum comparent, quarum causam, maxima ex parte in circuitu sanguinis immutato, et nimia lucis vi, quaerendam esse, equidem arbitror; neque adeo rarus in hac periodo etiam is morbus est, quem icterum neonatorum vocant, cuius veram naturam et ortum nemo observatorum hactenus definire potuit. Quid equidem de hoc morbo sentiam, fere hoc est: primum hepatici, quod gravissimi momenti organon in foetu est, neque tam ad secernendam bilem, quam potius ad sanguinem immutandum adesse videtur, subito magna sanguinis copia detrahitur, eaque ad alias partes fertur; deinde, cum digestionis functio magis vigere incipiat, secretio bilis adaugeatur oportet, cuius aliqua portio, cum via, qua ad intestina deferri debet, non satis aperta sit, in sanguine retineri, et facile in telam cellulosa transire potest. His denique accedit, quod sistema cutaneum, cui maximus est cum hepate consensus, novam vicissitudinem rebus externis ineat, et sanguinis circuitu immutato, insig- nem mutationem perpetiatur. Atqui ab his causis, quas commemoravi, originem hujus rei explicandam esse judico. Lubenter tamen fateor, nos neque de hoc morbo, neque de iis affectionibus rationem omnibus numeris absolutam reddere posse, et si hoc exploratum habemus, ejusmodi universali organismi mutatione his morbis fundamentum quasi ponit. Atque hae fere sunt illae abnormitates, quae ex subitanea mutatione vitae rationis exoriri possunt; jam ad reliquos morbos, qui ob naturam huic aetati propriam quandoque accedere solent infantibus, transeam. ← Priori tempore vegetatio-

nem et sensibilitatem praevalere, utrumque systema sibi oppositum, et unum quasi limitibus, quos alterum ipsi ponit, circumscriptum esse, deprehendimus. Quidquid igitur in organismo permutetur, ad has duas functiones spectat; ideoque omnes morbi hujus aetatis commode in duas classes possunt distribui, quarum altera eos complectitur, in quibus *sensorium nimis incitatum, atque exaltatum est*, altera hos, in quibus *vegetatio normalem gradum excedit*. In utroque casu organismus abnormi modo explicatur, quippe in hoc nimis adaugetur, in illo nimis coercetur atque impeditur evolutione. Jam quod ad abnormitates sensorii attinet, quae inde a nativitate usque ad alteram periodum, qua vitae animalis indoles manifestatur, eae ex triplici causa exoriuntur, et vel ex anomala evolutione atque aequilibrii, quod inter illud et reliqua organa obtinet, perturbatione initium ducunt, vel rebus externis, quae in sensorium ipsum agunt, ut in trismo vel tetano, qui in regionibus meridionalibus saepissime occurunt, vel ex systematis stomachalis perturbationibus proveniunt. Ac prioris quidem classis abnormitates in iis potissimum infantibus, qui parentibus, debilis, sensibilisque constitutionis, praesertim matre vel a natura parum sana et robusta, vel, durante graviditate, ab externis variis rebus male affecta, geniti sunt; quippe ejusmodi infantes teneri admodum et debiles sunt, brevique post conceptionem tempore spasmis diversi gradus corripiuntur. Sunt autem spasticae hae affectiones mox levioris momenti, quorsum pertinent convulsivi illi motus, qui haud raro in extremitatibus cum superioribus,

tum inferioribus, locum habent, mox gravius iis infans aegrotat; praeterea simul in systemate reproductivo, partim quod sensorium cum organis sensibilitatis in abdomine sitis in consensu versatur, partim quod per antagonismum reproductoris sistema illo vel plane deprimitur, vel saltem turbatur, aegritudo, qua sensorium laborat, conspicua fit; unde dolores spastici in abdomine, faeces item justo liquidiores, eaeque viridescentes, flatusque foetentes exoriuntur; graviores autem vitaeque tenerae magis periculosaे convulsiones, quae quandoque ab illa causa originem habent, et multa capitibus jactatione, manuum pedumque contractione se prodere solent. Ad haec symptomata accedunt coma vigil, vagitus singularis, quo facile spasmodicae indolis affectio, quae praesto est, perspicitur, vomitus item materiae albescens, dejectiones alvineae modo pituitosae, modo viridescentes et s. p. observantur; neque rarum est, vehementem ejusmodi spasmum in trismum et tetanum transire. At vero sensorium ipsum interdum minus afficitur, quam sistema reproductionis, cui ob digestionem per frequentes dejectiones perturbatam haud exiguum detrimentum affertur, siquidem atrophia eoriundae aliquando occasio datur. Hae abnormitates, quas modo commemoravi, et quibus dispositio scrophulosa dicta continetur, in iis pusillis animadvertisimus, in quibus jam ante partum sensorii evolutio perverse dirigitur. Caeterum si infans bene efformatus atque explicatus enascitur, hoc tempore minus eum laborare hujus generis morbis videmus, cuius rei causa posita est in hoc, quod vegetatio multo magis se exferit, quam

sensorii efficacitas. Ab eo vero tempore, quo sensorium dominum suum magis extendere incipit, sensus interni paulatim explicantur, et ipsa levia irritabilitatis indicia se produnt, ideoque vita animalis se evolvere videtur, phaenomena varia in conspectum veniunt, quae non solum hoc organon, verum etiam totum corpus, valetudine deficere testantur. Qua de re hoc tempore omnes fere infantes plus, minusve male se habere experientia docet; tristes quippe et morosi sunt, noctu, diuque saepe clamant et vociferantur, somnus eorum inquietus et terrore interruptus est, vel adeo profundus, ut sopor dici mereatur; porro rubor in genis circumscriptus, calor ardens in fronte, genis, manuumque palmis, interdum etiam levis capitis sudor, observantur; respiratio brevis est et frequens, pulsui vero hac aetate plane non fides habenda est; appetitus desideratur, impetu quidem mammarum papillas infans arripit, sed mox eas dimittit; salivatio adaugetur, digitique mox naribus, mox ori immittuntur. Dejectiones alvinae modo aquosae sunt, modo spumosae, modo cinereae et. s. p. denique spasmodicis motibus haec, illave pars corripitur. Has affectiones omnes non tam incipienti dentitioni, ut plerumque creditur, et ob quam causam in vernacula lingua dicunt „die Zähne schöpfen sich, oder die Zähne schließen ein,“ quam potius incipienti sensorii evolutioni tribuenda esse persuasum mihi habeo. Abnormis vero hic status, qui, nisi causa externa adactus sit, sine magno vitae periculo mox praeterire solet. At vero quo majores in aetate progressus fecit infans, eo magis sensorium ejus evolvitur, unde fit, ut, si hoc vel ex


evolutione perverse directa, vel rebus externis faventibus, vegetacioni, principi hujus aetatis functioni, praevaleat, symptomata graviora et vitae magis periculosa progignantur. Sic capiti ipsi, ad quod, ob cerebri efformationem, major sanguinis copia affluit, haud raro damnum infertur; quippe quod vasa et aliae partes premuntur, sicque ad statum soporosum, et ad spasmos vehementissimos producendos occasio datur; praeterea, cum systema vasculosum vigere incipiat, in ejus membranis indicia inflammationis, quae sub hydropis ventricularum cerebri nomine veniunt, et de cujus natura alias jam loquutus sum, deprehenduntur. Collectio enim aquarum non efficit istam phaenomenorum, quae obveniunt, copiam, sed causa eorum potius in vera inflammatione debet quaeri. Caeterum accidit etiam quandoque, ut, ob majorem sanguinis ad superiora affluxum, inflammationes in iis partibus, ut in trachea, cuius affectio plerumque angina membranacea appellatur, et in pulmonibus, exoriantur. — Alia phaenomena morbosa sensorii exaltati in opposito systemate, stomachali nimirum, locum habent, quorsum e. g. referenda est illa chronica diarrhoea, quam nostrates *die Zahnruhr* appellant, quae ut plurimum omni fere medicinae resistit et atrophiae cum febre lenta conjunctae, vel diabeti infantum, occasionem dat. Porro cholera, spasmodicae affectiones, aliaque phaenomena morbosa solent adesse. Quum autem simul cum animalis vitae, et in primis sensorii evolutione dentes erumpant, horum proventus, quod hoc phaenomenon maxime sub oculos cadit, pro primaria omnium horum, quae observantur, sympto-

matum causa a quamplurimis habetur, cui tamen sententiae quidam recentioris temporis medici, in primis *Wichmann*<sup>q)</sup> et *Sternberg*<sup>r)</sup>, contradicere ausi sunt, qui nullas affectiones, nisi locales, ex istorum ossium proventu oriri posse contendant. Atqui haec, quam moverunt viri docti, lis nondum composita est; nam sunt inter eos, qui cum accuratius hunc statum essent perscrutati, argumentis variis probare studuerunt, has abnormitates non ex dentitione difficulti, sed ex totius organismi mutatione, et praecipue ex sensorii evolutione, derivandas atque explicandas esse. Attamen, si, quid equidem judicem, dicendum mihi sit, fieri omnino potest, ut in infantibus potissimum iis, qui magna incitabilitate praediti sunt, aberrationes, uti pubertate instante, a normali statu oriantur. Haec autem periodus, ubi sensorium paulatim evolvitur, et in universum animalis vita minus vegetationis ditioni obtemperat, si per annos describere velimus, a nativitate usque ad secundum fere annum se extendit.

Aegritudines alterius generis, quae a rebus externis in sensorium ipsum inimice agentibus ortum ducunt, uti intrismo et tetano locum habere videtur, cum sint a meo consilio alienae, hic nihil moror. Neque de tertio earum genere disputabo, cum eae ex perturbationibus systematis reprodu-

q) Cf. *Ideen zur Diagnostik*, von E. *Wichmann*. Hannov. 1800.

r) *Erinnerungen und Zweifel gegen die Lehre von Zahnen*, von *Sternberg*. Hannov. 1802.



ctivi per antagonismum progrediantur, atque iisdem fere phaenomenis conspicua fiant. —

Transeo proinde ad secundae classis abnormitates, quae in prima aetatis humanae periodo occurruunt, quarumque ratio sufficiens *in nimis praevalente vegetationis processu* quaerenda est. Cum autem vegetatio priore tempore eminere debeat, non adeo multae erunt aegritudines, quae ex organismo evoluuntur. Major numerus earum est, quae ex perturbationibus systematis reproductivi originem ducunt, quaeque ex rebus externis procreantur. Enimvero cum hae, quas modo nominavi, ad rem nostram haud pertineant, earum non faciam mentionem, sed illis recensendis tantum occupabor. Atqui huc referri debent aphthae, quae in ore nimiam vegetationem indicare videntur; attamen causae externae, quae ad istas progignendas necessariae sunt, nondum satis constant; dein capitis favus, tinea atque achores commemorandi sunt, item ei ipse causae originem suam debere videntur comedones, ubi glandulae sebaceae in cute nimis efflorescunt, nec non intertrigines, quibus affectionibus infantes saepe expositi sunt. Si ab his discesseris, nulla fere alia hujus generis abnormitas huic aetati propria videtur. Insequentia autem tempore, ubi animalis vita et sensorium normali statu magis se evolvere debet, frequentius ejusmodi aegritudinibus affici solet, easque omnes *Malfatti*<sup>s)</sup> rhachitidis

---

<sup>s)</sup> In libello, quem supra laudavi, contendit vir clarus, rhachitidis vim hactenus non satis perspectam esse, et dijudicata, cum sum-

nomine complectitur. Hae vero aegritudinum formae duobus istis organis, quae hac aetate praecipue eminent, et inter quae polaris veluti relatio locum habet, in abdomine et capite primo se manifestant. Et in hepate quidem, quod abdominalis et vegetationis princeps instrumentum habetur, prima nimiae vegetationis deprehendimus indicia, atque hoc ipsum viscus in iis, qui illa aegritudine laborant, volumine auctum esse constat. Quodsi enim vegetatio, rebus externis faventibus, sic praevalere pergit, ut vita animalis eam coercere nequeat, etiam hepar, quod post partum, ob majorem bilis secretionem, quae nunc obtinet, paulatim decrescit, simili ratione, ut in foetu, pergit agere. Ex quo fit, ut tum ipsius hujus visceris, tum abdominalis totius volumen adaugeatur, irritabilitas vero et sensibilitas, ob prevalentem vegetationem, restringantur et deprimantur. Atque hoc ita se habere phaenomena plura docent; abdomen e. g. extensem est atque inflatum, appetitus valde adauctus, ut pene voracitas vocari possit, alvina ex-

mus tantummodo gradus hujus abnormis status ossium, et praecipue columnae vertebrarum deformitas vocaretur. Caeterum arbitratur auctor, rhachitidis naturam positam esse in eo, quod nimis praevaleat vegetationis processus, qui foetui peculiaris est, atque huic abnormitati opponit scrophulas, quarumque naturam in nimis accelerata vita animali quaerit. Discriben etiam inter scrophulas veras et spurias s. mesaraicas esse, ait *Malfatti*, quae medium quasi locum inter hunc utrumque statum, scrophulosum et rhachiticum, occupant, ita ut neque vegetationem vita animalis coercere, neque illa super hanc dominium extendere valeat. —

cretio tardius, quam in normali statu, procedit, et argillacea quasi ea materies educitur; bilis item secretio parca est et perversa, unde ista acoris et flatuum copia, et alia digestionis via repetenda sunt. In capite ossa frontis prominere, suturas cranii extendi, totumque cranium ambitu et volumine augeri videmus; praeterea proclivitatem aliquam ad somnum et quietem observavimus, et ad hydrocephali interni exortum hoc magis ansam suppeditari, quo magis volumine increvit cranium. Irritabilitas vero et praecipue sensibilitas in hoc abnormi vegetationis statu imminuitur et deprimitur, unde ista stupiditas atque tarditas ingenii, quae hoc tempore haud raro adest, pendet. Neque tamen semper commune sensorium ita male se habet, quippe interdum fit, ut infantes acute percipient, et si segnius cuncta, quae ipsis agenda sunt, tractant. Caeterum phaenomena varia se conspicienda praebent, quae irritabilem partium vim plus, minusve debilitatam esse testantur; musculi e. g. laxi sunt, et macie consumti, ossium extremitates tumidae fiunt, cum e contrario media eorum pars mollis reddit a sit; quae mutatio facile efficit, ut ossa curventur, infantesque pedibus insistere, iisque ingredi desinant. Praeterea dentium proventus retardatur, et abnormi modo ictus erumpunt; denique columna vertebrarum et pelvis ossa evadunt deformia. Interdum etiam, si ad maximum gradum haec abnormitas ascendit, glandulae intumescunt atque indurescunt, et serosi humores in variis corporis cavitatibus colliguntur, cui ejusmodi effectus ictus quandoque animadverterunt, qui funera rhachiticorum infantum dissecuerunt. Hic

tamen status abnormis non semper cunctis his, quae recensui, symptomatibus stipatus est, sed plerumque tantum in abdominis tumescentia, capitisque abnormi ambitu consistit, et mox per longius tempus durat, mox brevi rursus finitur, et plerumque a sexto aetatis mense usque ad secundum annum extenditur, tandemque, si naturae animalis vis rite se exserit, terminatur.

Transgredior ad abnormitatum, quae in secundam incrementi periodum cadunt, classem. Atque hae quidem, cum animalis vita, cuius sensibilitas et irritabilitas factores veluti sunt, evidentius se prodit, aliam indolem induunt, et uti in priore intervallo vegetatio normalem gradum potuit excedere, sic in hac periodo nimis accelerata vita organismus variis aliis abnormitatibus solet corripi. Hoc igitur in statu, quem *Malfatti* rhachitidi opponit, et nomine scrophularum insignivit, omnia phaenomena, quae occurunt, nimis citam evolutionem corporis perpeti, et quae in sequenti demum periodo explicari debuissent, se jam manifestare, testantur. Hujus vero abnormis status varii esse possunt gradus. Etenim vel in conformatione totius corporis exprimitur, et habitus scrophulosus appellatur, vel sistema glandularum tantum patitur, in eoque conspicuus est, tandemque in sistema vasculosum transit. Cognoscitur illa ex animi alacritate, mentisque facultatum praematura explicacione, ut et ex corporis gracili, teneraque constitutione; caput in ejusmodi aegrotis majoris ambitus est, oculorum observatur

splendor et magnitudo, labia et narium alae tument, in genis conspicitur rubedo aliqua, cutisque candor etc. Quodsi ad altiorem gradum ascendit, glandulosum systema afficitur, eaeque glandulae, quae in superficie corporis positae sunt, fiunt tumidae. Maxime autem periculosus est hic status, si haec abnormis evolutio se ad vasculosum systema extendit, ita ut illud pessundetur; nam in tali casu facile varices aneurismata oriuntur, ad quae deinceps haemoptoe et phthisis accedere solent. Inde etiam fit, si nimis celeri modo vitae evolutio eveniat, ut atrophia, vel phthisis insequatur, vitaque nimis cito consumatur. Interim non semper ad istum gradum evehitur haec abnormitas, sed plerumque sequenti periodo in naturalem statum omnia redeunt. Hic vero totus status abnormis inter secundum et septimum vitae annum fere contingit. Alia, eaque multo gravior est ista aegritudo, quae jam supra sub nomine scrophulae mesaraicae, s. internae commemorata est. In hac enim in primis glandulae, quae in abdomen, ob praevalentem vegetationem valde extenso, sitae sunt, intumescent atque indurescunt. Caeterum idem perversus status obtinet in iis, quos scrophulis laborare dicunt medici, atque inde ratio patet, cur rhachitis et scrophula pro ejusdem fere naturae abnormitatibus habitae sint. De hac aegritudine egregie disputatione *Cortum*<sup>1)</sup> et *Malfatti*, quos lectores adeant velim. — Hactenus de statu abnormi vitae animalis

---

1) *Cortum* De vitio scrophuloso. Lemgov. 1789.

in universum locutus sum; jam addendum quicquam est de singulis ejus systematibus, quae itidem affectionibus variis corripi et pessum dari possunt. Etenim omnibus aegritudinibus, quarum plures jam antea organismum infantilem invaserant, nunc motus febriles accedunt, in primis, si irritabilitas aliqua ex parte praevalet, proclivitas quaedam ad inflammationes, in quas tamen vegetatio vim aliquam exserit, observatur, ob quam causam etiam in hac periodo plures inflammatoriae aegritudines, ut hydrocephalus acutus, angina membranacea, pleuritis, pulmonum, viscerumque quorundam in abdome sitorum inflammationes occurunt, quae saepius in pueris, quam in puellis, exoriuntur; si autem sensibilitas magis emineat, affectiones spasmoticae, e. g. pertussis, cuius morbi natura in exaltata sensibilitate posita est, nec tamen a vegetationis vi atque imperio libera, asthma Millari, aliaeque spasmorum et convulsionum formae se manifestant. —

In tertia vero incrementi periodo, ubi mentis facultates explicari incipiunt, et ubi ista tria corporis systemata aliquo modo inter se exaequata sunt, non adeo multae corporis abnormalitates progigni solent, et, si quae obveniunt, eae sunt ex perturbata mentis facultatum evolutione, quae in corpus reagunt, explicandae. Ac plurimae ejusmodi abnormalitates sunt spasmoticae indolis, ut Chorea St. Viti, epilepsia, quae et magnetismi animalis speciem prae se ferunt, et facile ex animi facultatibus, praecipueque ex phantasiae vi, quae vigore incipit, deduci possunt. Nonnulli quidem medici arbitrantur, eas ex

vermium progenie, vel dentium vicissitudine, originem suam habere, sed, quid equidem de hac re sentiam, jam supra monui. Caeterum haec periodus maxima nostra attentione digna est, quippe in qua demum prima infantum institutio incipere debeat, cum ea in ingenii facultatum perfectionem, morumque probitatem haud exiguam vim exserat. —

Denique quando juventus, aut pubertas appropinquat, in quo stadio sistema arteriosum se evolvere et eminere incipit, alias aegritudines huic aetati peculiares exoriri videamus. Frequens enim epistaxis, item haemoptoë, quae juvenibus obveniunt, observantur, cui haud raro accedunt pulmonum inflammations et phthisis ipsa. Atque ab his abnormitatibus eo facilius corripitur juventus, quo magis jam antea acceleratus fuit vitae animalis progressus. Quod autem abnormitates, quoad sexus differentiam, attinet, pauca habeo, quae addam. — In maribus nulli fere morbi sunt, qui hac aetate ex organismi natura evolvuntur. Interdum tamen fit, ut, si secretio seminis nimis larga sit, neque sponte genitalis hic liquor diminuatur, epileptici insultus, aliquique spasmi progingantur. — Multo major est in sexu sequiori aegritudinum copia, in quas fere omnes psyche non exiguam vim exserit, unde illa similitudo earum cum somnambulismo et magnetismo animali, <sup>u)</sup> animorumque morborum origo explicanda

---

<sup>u)</sup> Cf. Hopfengärtner in I. I. et Archiv. f. Physiol. von Reil. Bd. IX. p. 46.

est. His vero morbis describendis haud diutius inhaerebo, quorum doctrina recentissimo tempore a variis medicis <sup>v)</sup> celeberrimis exculta sit atque illustrata. —

Quodsi vero ad altissimum perfectionis gradum organismus ascendit, et plane efformatus homo est, atque aequilibrium inter omnia ejus systemata positum, nulla abnormitas evolvitur, sed potius morbi, si qui sint, qui in hanc aetatem cadunt, ex rerum externarum vi et potentia progignuntur. Atqui haec de priore vitae humanae periodo dixisse satis sit. —

Bene quidem scio, me in hoc, quod pertractandum mihi sumsi, argumento illustrando atque explicando non ita veratum esse, ut eruditorum virorum plausum obtinere possim; spero tamen atque confido fore, ut aequus lector ea, quae de gravi et perdifficili hac re proposui, humaniter excipiat atque benevole dijudicet. —

v) *Joerg Handbuch der Krankheiten des menschlichen Weibes.* Leipzig, 1808. *Elias v. Siebold Über die Krankheiten der Frauenzimmer.* Würzb. 1810. *Mende Über die Krankheiten der Weiber.* Greifswalde, 1811.

**Corrigenda.**

- Pag. 3 l. 20 pro: qua cum l. quacum  
— 10 — 13 — emicant, l. eminent  
— 12 — 17 — destinguere l. distinguere  
— 13 — 18 — resprrationis l. respirationis  
— 14 — 12 — alienae, sunt, l. alienae sunt,  
— 23 — 9 — animalum l. animalem  
— 32 — 20 — eoriundae l. oriundae